




1719.

Dim leaf or

8. Hoffmannus, Fredericus: De medicina Hippocratis mechanica.
9. Hoffmannus, Fredericus: Dissertatio in qua medicae, ex hunc
praestantissimas medendi leges.
- 10^a ^{et} Hommel, Ferd. August: De victoria querelae inoffensivae
tertii proficua. 2 Sept. 1719 = 1765
11. Ludovig, Joannes Petrus: De praerogativa Wurtembergi
vacata.
- 12^a ^{b, c} Ludovig, Joann. Petrus: De praerogativa principis Saaxo-
Lici. 3 Sept.
- 13^a ^{a, b, c} Ludovici, Jacob. Tristes: De testamento vasalli in
causa domini. 3 Sept.
- 14^a ^{a, b, c} Ludovici, Jacob. Tristes: De creatore ad filium hunc
Jura inducto. 3 Sept. 1719 = 1753.
15. Schlitte, Jo. Guenters: Neco, qui posterior tempore,
patris jure.
- 16^a ^{a, b} Thomae, Christianus: De praesumptione furoris
aliquae demerere. 2 Sept. 1719 = 1732

[Faint, illegible handwriting in a cursive script, likely German, covering the majority of the page. The text is too light to transcribe accurately.]







55. 54
DISSERTATIO MEDICA,
DE

7779,86
2
**MEDICINA
HIPPOCRATIS
MECHANICA,**

QUAM
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,

PRÆSIDE

DN. FRIDERICO HOFFMANNO,
MEDICINÆ ET PHILOSOPHIÆ NATVRALIS PROFES-
SORE PUBLICO ORDINARIO ET COLLEGII
MEDICI SENIORE,

PATRONO AC PRÆCEPTORE SUO OMNI OBSERVANTIÆ
CVLTV PROSEQVENDO,

Publico Eruditorum examini submittit
AVCTOR

STEPHANUS ENYEDI,

TRANSYLVANO - HUNGARUS.

AD D. AUG. CIO 19 CC XIX.

HALAE MAGDEBVRGICAE
Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.

DISSERTATIO MEDICA

MEDICINA
HIPPOCRATIS
MECHANICA

GRATIA FACULTATIS MEDICAE CONSENSU
QUAM

TR. ESIDE

DR. FRIDERICO HOFFMANNO,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATURALIS PROFESSORI
SOCIETATIS PUBLICAE ORDINARIO ET COLLEGII
MEDICI SENIORI.

PATRONO AC PRAECEPTORI SUO OMNI OBSERVANTIA
CUM PROSPERANDO

Publico Examinum examini submittit

AUCTOR

STEPHANUS NYEDI,

TRANSILVANO - HUNGARUS

ANNO MDCCCXIX

HABERE MAGDEBURGICAM
TYPIS CHRISTIANI HENCKELII, AED. TYPOG.



ILLUSTRISSIMO ATQUE EXCELLEN-
TISSIMO

COMITI

DOMINO

DN. SIGISMUN

DO KORNIS

DE

GÖNTZ-RUSZKA,

SACRAE CAESARAE REGIAEQVE MAJE-
STATIS CONSILIARIO STATUS, ET GUBERNI
TRANSYLVANICI INTIMO, NEC NON EJUSDEM
TRANSYLVANIAE PRINCIPATVS, PARTIUMQUE
REGNI HUNGARIAE EIDEM ANNE-
XARUM

GUBERNATORI REGIO

&c.

UT ET
ILLUSTRISSIMIS, REVERENDISSIMO, SPECTA-
BILIBUS, MAGNIFICIS, ET AMPLIS-
SIMIS

DOMINIS DOMINIS,
PRÆFATÆ SUÆ MAJESTATIS SACRATISSIMÆ GU-
BERNII REGII TRANSYLVANICI CONSILIARIIS IN-
TIMIS, ET RELIQUA,

*Dominis, Dominis & Patronis respective,
gratiosissimo, Colendissimis Patriæ
Patribus,*

HOCCE SPECIMEN ACADEMICUM
TANQUAM
OBLIGATIONIS SUÆ CULTUSQUE DEVOTI
MONUMENTUM

Cum voto omnigenæ felicitatis
humillime statuit
AUCTOR ET RESPONDENS.



PROOEMIUM.



Eneranda eruditorum

antiquitas rerum naturæ contemplationi minus otiose intenta ita hominem conditum professa est, quasi in eo, tanquam in compendio reliquam universam rerum naturam adumbratam, i-

mo expressam haberet, eamque ob rationem ipsi minoris mundi sive *μικροκόσμου* appellationem à multis retro seculis uno veluti ore tribuit. Neque sane temere viros illos aut levi ratione hoc de homine statuere potuissent, vel voluisse probabile est, sed penitus dubio procul introspecta utriusque natura debuit utrobique adesse ea, quæ ad similitudinem apte deducendam sufficiens esse queat, ita quidem, ut facta nominum commutatione alterum *μικροκόσμου*, alterum *μεγαλόκοσμου* recte dixeris. Licet enim tota natura mere sit mechanica ac omnia totius universi corpora mathematicæ constructa splendidissimum nobis repræsentent speculum, in quo Summi rerum Parentis ac Conservatoris existentiam, infinitam

potentiam, nec non bonitatem intueri liceat, neque tamen ulli creaturarum excellentiori præfuit artificio quam homini, quem ob hoc divinitatis specimen consummatissimam omnium partium inter se miro modo conspirantium harmoniam, microcosmum, omnium miraculorum maximum, artificiosissimum, perfectionumque Divinarum complementum nuncupatum fuisse non sine evidenti ratione dixerim. Sane si famosus ille a-theorum princeps *Julius Caesar Vannius in theatro* morti jam proximus ex assumpto e terra forte fortuito delapso straminis frusto existentiam Dei adstantibus probare conatus est; longe omnino faciliori negotio & certius quidem medicus rerumque physicarum gnarus (utpote qui ipsius naturæ minister longe altius ad rimanda divinæ sapientiæ provehitur arcana) eundem ex minima humani corporis parte demonstrabit.

Stupenda hæc humani corporis machina automatica sufficiens præbet argumentum, quod curiosos naturæ mystas ad indaginem penitiorum & allicere, & in ea exercere valet. Equidem nobilissimam anatomem per universa hætenus secula profundissime excultam fuisse fatendum est, sed quæso quotusquisque annus, ne dicam dies adhuc huic curæ impenditur, qui novis subinde observationibus multa adhuc tenebris immersa jacere non ostendat. Quodsi vero ipsa phænomena, quæ ex sublimi mentis cum corpore, duarum toto cælo diversissimarum substantiarum unione artissima resultant, contempleris, proh! quanta ex illis in Democritei putei abyssu latitare (ad quorum propiorem intuitum clarissima etiam eruditi orbis sidera nondum pene-

penetrarunt) deprehendes! ita ut facile hic locum inveniant verba *Poëtae Lucretii* ita canentis: *multa tegit sacro involuero Natura, nec ullis fas est scire quidem mortalibus omnia.*

Quæ licet a veritate neutiquam sint aliena, nihilominus tamen experientia teste benignissimum Numen tantam rerum ad veram utilitatem ac necessitatem generis humani pertinentium jam inde ab omni ævo intellectui humano indulfit notitiam, ut, si eam homo excolere, atque usui suo accommodare velit, non possit egregius excidere commodis, quæ non solum ad vivendum, sed etiam ad bene vivendum defensionemque humani corporis ab externis injuriis exitium minitantibus sufficere possunt.

Prævit hac in re nobis sapiens antiquitas priscique medicorum eruditissimi, qui, licet ex temporis infelicitate non sufficienti experimentorum circa rerum naturalium indolem pernoscendam copia instructi philolophandi accuratiori methodo caruerint, nihilominus tamen tanta sunt illorum de arte medica merita, ut silentio eos prætermisisse ignorantiam, iniquius autem de ipsis sentire summam ingratitude, ne dicam protervam redoleat injuriam: multa enim sunt in illorum monumentis generi humano utilia, ac salutaria, quæ non modo ad exquisitam morborum historiam acquirendam vel prognosin eorum instituendam: sed etiam ad ipsam praxin rationali modo tractandam haud parum conferunt.

Agmen inter hos omnes antiquos artis medicæ peritos merito ducit ipse *Hippocrates* omnium retro se-

culorum medicorum consensu medicinae parentis salutatus, cui quantum medicina recentiorum mechanica rationalis debeat, & quantum ipsi eadem suo jam tempore cognita fuerit, paulo pressius loco Speciminis Academici secundum mentem, ac ductum *Excell. D. Praefidis Fautoris ac Praeceptoris mei aetatem colendi* pro tenuitate mea inquirere allaborabo. Arduam sane ingredi-or viam sublimiorique omnino calamo dignam, dum nova ex veteribus eruere intendo. Ardua enim res est, ut cum *Plinio* loquar, vetustis novitatem dare, obfcuris lucem, dubiis fidem, omnibus vero naturam, & naturae suae omnia. Quod si itaque eventus pro voto non successerit, unicum mihi supererit solatium in illo *Propertiano*: *Quodsi deficiant vires, audacia certe laus erit, in magnis & voluisse sat est.* Quisquis itaque es L. B. meis conatibus ut faveas, & de iis candide iudices, ea, qua par est, humanitate contendo.

S. I.

Medicinae *Hippocratis* mechanicae ichnographiam dum delineare apud me constitui, operae pretium esse existimaui, morem sequi geometrarum, definitionemque, quid in genere per mechanicam, indeque denominationem suam mutuantem medicinam mechanicam intelligamus, statim in limine praemittere: Siquidem non mihi ignotum est mechanismum nonnullis ob vim vocis & rem perperam cognitam & intellectam ita esse odiosum, ut vel ipso nomine audito exhorrescant, bilemque sibi moveri patiantur. Definimus itaque mechanicam, quod sit scientia motuum, tradens eorum naturam, causas ac leges, easque ad varios usus applicans; Medicinam

vero mechanicam eam vocamus scientiam, quæ effectus omnes, qui fiunt in corpore humano artificiosissime constructo ratione vitæ, mortis, curationisque morborum a causis corporeis earumque vario motu, & dispositione ad motum deducit: mechanica itaque *κατ' ἐξοχὴν* hæc medicina hodiernorum philosophiæ potissimum experimentalis non speculativæ addictorum vocatur, non modo respectu illius, quæ non contenta ad demonstranda corporis humani phænomena rationibus mechanicis, rationale quoddam principium motibus vitalibus præesse statuit; sed etiam respectu veterum magis materiæ ejusque qualitibus in explicandis morborum causis, quam motui inhærentium, quem hodierna mechanicorum medicina scrutatur intimius. Ita etiam porro mechanice ille philosophari dicitur, qui evidenter ostendit, quomodo vi legum motus effectus rerum ex structura consequantur; non secus omnes operationes rerum corporearum mechanicæ dicuntur, quia agunt structuræ suæ convenienter. Si quis itaque motuum habeat scientiam solidâque experientia suffultus motuum effectus explicare norit, ut ut nesciat intimam materiæ sive corporum naturam, sufficienti tamen scientia rerum physicarum ac medicarum potiri poterit.

§. II.

Probe hic notari in antecessum velim ad præoccupanda nonnullorum præjudicia, quod, licet omnia in universo fiant juxta leges mechanicas ac mathematicas accurate constructa, patianturque mutationes juxta determinatas naturæ leges, certam ratione ordinis, temporis, actionis, ac receptivitatis proportionem, neminem tamen notiones in medicina ad exactam ac rigorosam geometrarum demonstrationem reducere posse (quod minime etiam nos facturos promittimus) non propter mechanicorum principiorum insufficientiam, sed propter intellectus nostri imbecillitatem, sicut ex principiis geometricis famosissima illa
 III 2
 qua-

quadratura circuli (quæ doctorum Virorum jam diu torfit ingenia) ubi mutatio circuli in quadratum, item quadrati in circulum exacte deduci non potest, nequaquam propter insufficientiam geometriæ, sed propter intellectum nostrum arctis limitibus circumscriptum. Pariratione quoniam ignota nobis est corporum intima ratione pororum & partium figura, dispositio & situs, ignota vis certa cordis impellentis certaque fluidorum, ac solidorum resistentia, ignoti demum differentes liquidorum per singulas partes motus, in quibus vita consistit, ultro fatemur exactis, ac rigidis mathematicis nempe demonstrationibus phænomena in corpore humano ratione vitæ, sanitatis, morborum eorumque curationis neutiquam subjacere, non quia res sua natura esset impossibilis, sed quia data sufficientia deficient: Nihilominus tamen non erubescimus dicere, ipsum studium mechanicum, imò in genere mathematicum non carere singulari usu ad perfectionem ac certitudinem medicinæ, quod quidem minime ea intentione a me quis dictum esse putet ac si illas geometricas figuras triangulares, quadrangulares, & ejus generis plura alia ad felicem praxin, qua talia, aliquid conferre posse, prætenderem; sed sicut in aliis scientiis, ita hic quoque culturam ingenii principaliter mathesis sibi vindicat, demonstrationibus enim ex invictis & evidentibus principiis deductis, veritatibusque iisdem superstructis mentem imbuunt, viamque ad iudicium de rebus etiam difficillimis ferendum pandit, quo quid medico rationali nobilius, quidve generi humano utilius excogitari possit, sane non video: rectissime hinc a *Galeo* medicina perpetuum iudicium appellatur, unde patet matheseos studium non parum ad perfectionem medicinæ conferre, hinc etiam ipsum *Hippocratem* medicorum facile principem minime ab hoc studio alienum fuisse testantur ipsius literæ ad filium suum *Thessalum* missæ, in quibus numerorum scientiam ac geometriam singulariter ipsi commendat.

§. III.

§. III.

Affirmamus itaque ex præmissis, corpus humanum esse non nisi machinam avtomaticam a Deo artificiosissime constructam, in qua omnes motus omnesque mutationes quoad vitam, sanitatem, morborum generationem atque curationem à causis necessariis & mechanicis, id est, æternis naturæ, motuumque legibus dependent. Quid vero machina sit, definit *Exell. D. Praeses in Philosophiæ corporis humani Parte I. Cap. I. §. IX. machina*, inquit, *est corpus ex variis partibus magno artificis ingenio inter se unitis constructum eo consilio, ut certos ac ordinatos motus producat; ubi addit in Scholio: artificium illud structuræ sive ingeniosa partium unio & coordinatio ad motum apta à recentioribus dici solet mechanismus.* Talem esse machinam corpus humanum, talemque ex structura ejus sequi mechanismum sana ratio non minus, quam experientia demonstrat. Deprehendimus enim in corpore humano actiones, quæ solo motu perficiuntur, ubi nempe corpora inter se mutuis viribus motricibus & innatis agunt, a quarum virium æqualitate, vi ac robore, actione & pressione, quies, ab inæquali vero loci, vel situs mutatio, sive unico verbo motus, in quo totius œconomiz vitalis cardo versatur, dependet.

§. IV.

Ast vero, cum quævis corpora peculiare suos, certos atque determinatos exerant motus atque mutationes plane distinctas, jure merito quæritur: a quonam principio illi motus dependant? Fatendum equidem, principium, causam, ac formam essentialem hujus motus primi æque ac secundi in corporibus, in quo nempe consistat proprie illa activitas ac vis agendi, qua unum corpus alteri pravelet, & quomodo motus unius alteri intimius communicetur, esse rem obscurissimam, sensibusque ac rationi minus obviam. **Quam** ob rem non levis inde ab
B
omni

812

omni seculo de hac re inter philosophos fuit controversia: hæc enim philosophandi ratio jam dum ex Stoicorum secta nonnullis præbuit occasionem sententiæ valde ineptæ, dum principium corporum actuum cum Deo unum idemque habuerunt, mundumque mente præditum & intelligentem, ideoque Deum statuerunt. Non multum ab hac ipse *Seneca* recessit *Lib. 4. de Benef. Cap. 7.* ubi dicit, nihil esse sine Deo, nec Deum sine natura, sed idem esse utrumque. Horum Stoicorum infaustissima in philosophando lambebat vestigia in præterito seculo *Benedictus Spinoza* substantiam cogitantem & extensam, mentem & corpus unam eandemque rem esse asserens, Deumque cum rebus materialibus confundens, de quo vid. ejus *Tract. Theol. polit. Cap. 2.* Ast majori cum pietate nonnulli Creatori & Enti infinito substituerunt spiritum quendam universalem creatum, tanquam Dei vicarium intimam corporum essentiam ingredientem, à quo tanquam principio omnes in natura mutationes deducere conabantur. Ex quorum classe primas tenet ipse *Plato*, cui etiam subtilis ingenii ille philosophus *Henricus Morus* in suo *Enchiridio. Metaphysico* haud obscure assentitur principium aliquod hylarchicum, incorporeum, Deo subordinatum, totiusque mundi præsidem ac moderatorem statuens.

§. V.

Ast vero speciale illud principium a quo specificæ actiones in corpore humano, vita nempe, nutritio, sensatio, aliaque phænomena ad statum hominis tam naturalem, quam p. n. pertinentia dependent, variis ab auctoribus passim insignitur nominibus. Veteres nempe dicebant naturam, item animam, ut ipse *Aristoteles*, *Galenus* & alii calidum innatum, spiritum insitum, *Scaliger* sapientissimam vim plasticam, *Helmontius* archæum, quorum etiam spectant *Cl. Dolei* reges, quos diversis corporis cavitatibus præfecerat. Rectius vero inter recentiores *Vir*

in rebus naturalibus singularis eruditionis *Robertus Boyle* in *Tractatu de Natura* philosophari videtur, dum naturam cujuscunque corporis individualement mechanisimum, omnium nempe mutationis principium ac causam appellat: Neque omnino sine fundamentali ratione; Deus enim summus rerum Arbiter produxit substantias agentes, seu viribus activis instructas, quæ essent fontes operationum, atque effectuum in aliis, atque sic neutriquam vel ad momentum res materiales concipi posse sine vi activa i. e. nisi, ac conatu locum, & firmum mutandi cum Illustri viro *Leibnitio* existimo, nihil obstante, quod non semper propter obstacula illam vim ad sensum nostrum exerere corpora valeant, unde motus causam prorsus non extra materiam querendam esse judico testantibus id vel ipsis experimentis chymicis, ubi ex sola certorum spirituum ac oleorum commixtione talis exoritur calor ac tumultus, ut metus sit distractionis vitri, in quo continentur. Videntur itaque mihi plurimi recentiorum in hoc puncto a vero aberrare, dum omnem activitatem corporibus denegant, & sic materiam per se inertem esse, omnemque motum immediate a Deo corporibus communicari statuunt. Nam quid quaeso est substantia mere passiva sine vi innata, sine actione, & operatione? Ens enim mere passivum illud est, quod nihil efficit, nullam virtutem existendi vel durandi propriam habet: unde revera nihil est, & non nisi abstractam forte in ipsa mente, non vero separatam extra eam involvit existentiam.

§. VI.

Ex innata hac rerum materialium vi non facile nos amplius latere poterit verum ac genuinum omnis motus, omniumque mutationum in corporibus principium: posita enim vi corporum innata ex modificatione, & structura partium, certa quoque virium proportio emergit, ex qua originem omnis ducit mechanisimus, nec non propor-

portionata in actione & reactione virium corporearum decens harmonia. Quod si jam plures materiales causæ ita fuerint ordinatæ ac dispositæ, ut effectus fluant ideæ artificis correspondentes, recte etiam mechanismus, sed perfectior dicitur. Ita in horologiis certa supposita constructione variarum rotularum, & applicato determinato pondere, vel elasticitate non potest alius sequi effectus per necessitatem naturalem, quam ut intra horæ spatium horam determinatam demonstret, id quod intendebat artifex. Sicut itaque ob motum regularem ac in certum finem ordinatum construuntur machinæ; ita etiam nostri corporis machina omnibus aliis machinis tam naturalibus, quam manu factis superior unice a Deo summo & sapientissimo corporis nostri opifice ad certum & specialem motum contexta est, interim non levis inter machinam *κατ' ἐξοχὴν* artificialem dictam & Divinam nostri corporis notari meretur differentia. In Divinis enim modus construendi longe est excellentior, infinitisque modis artem humanam superans. Absolum itaque esset dicere, Deum non excellentiorem ideam in ipsis formandis habuisse, quam homo artifex. Impium quoque revera esset, metiri infinitæ illius potentie vires omnibus numeris absolutas secundum humanæ mentis in construendis machinis umbratilem saltem potentiam ab infinita perfectione Divina infinitis modis depressam, unde facillime patet, parum mechanisum corporis humani stringere objectionem illam: quod nullum automatum artificiale vel se a corruptione præservare, vel destructum propriis viribus se recolligere possit, quod quidem in machina corporis humani fieri quotidiana testatur experientia, unde inferitur; machinam corporis humani neuti- quam ex se hoc præstare posse, sed nobilius aliud inhabi- tans rationale, directorium principium necessario ad hoc requiri. At vero, sicut mechanisus corporis humani infinitis parasangis artificialibus est excellentior: ita etiam effectus

ejus

ejus mechanisui debet esse excellentior, scopoque ac fini artificis sublimiori respondens, unde neque mirum, neque rationi ullo modo contrarium videtur a perfectiore machina perfectiores etiam resultare effectus. Denique huc facit etiam notabilis illa differentia inter artificialem & divinam machinam, quod in illa idem plerumque & simplex modus sit operandi, in hac vero variet illa operatio, cujus ratio non alia est, quam quod in humanis machinis semper una eademque dispositio permaneat causalis, ut in horologiis, machinis hydraulicis & hydraulico-pnevmaticis, in divinis vero variant causæ. Nemo enim ignorat, externas causas, & inter has præcipue ærem, ætherem & alimenta cujuscunque generis varie disponere & afficere machinam humani corporis ejusque ex mechanismo resultantes functiones.

§. VII.

Utro equidem concedimus, machinæ corporis nostri insitum esse excellentius quoddam principium sentiendi & ratiocinandi facultate præditum, mentem nempe, sive animam rationalem: largimur etiam hanc animam facultatem habere a Deo concessam in certas corporis partes certo sensu agendi, functionesque nonnullas ac motus hujus machinæ modificandi: præesse quoque actionibus spontaneis a veteribus animales appellatis: item pervertere motus vitales æque ac naturales, cujus manifestum videmus exemplum in affectibus animi, quos universi corporis partes mirifice agitare ac commovere quotidie experimur vel solo gravidarum exemplo, in quibus perversa imaginatio quam mirificos foetui inferat characteres, in vulgus notum est, quæ quidem actiones quomodo in corpore ab anima fiant & ab ipsa dependeant; num per influxum physicū juxta scholasticos & nonnullos recentiores; an per causas occasionales secundum *Cartesium*; an vero per harmoniam a Deo præstabilitam secundū *Illustrem Leibnitium* penitus hic

B 3

inquirere nostri non est instituti, nec ideo cuiquam hæc de materia potius ad metaphysicam, quam medicinam spectante litem movere volumus. Sufficit ad scopum medicum, hæc ita fieri, licet modus, qua ratione hæc fiant, nos majorem partem adhuc lateat. Constanter itaque ex his asserimus, vitam, sanitatem, nutritionem, actum secretionum, atque excretionum, sanguinis & humorum circulationem, motum partium musculosarum involuntarium, morborum denique curationes, quæ naturæ vulgo adscribuntur, aliosque ad finem certo respectu salutarem tendentes motus mere mechanice a causis mechanicis & physicis citra ullum necessarium animæ rationalis concursum dependere.

§. VIII.

Præmissis itaque iis, quæ in genere ad notitiam medicinæ mechanicæ pertinere videbantur, instituti nostri ratio postulat, ut penitus, quo jure medicina *Hippocratis* a nobis mechanica audiat, investigemus. Ubi quidem in antecessum monendum duximus, minime nobis in animo esse *Hippocrati*, alioquin medicorum merito principi, omnia ea, quibus hodierna excellit medicina mechanica, quæque post longa secula solertius enucleata vel inventa sunt, unice ad scribere. Licet enim Divi hujus Senis de medicina mechanica merita vel subtrahere, vel penitus negligenter habere maximam sane spiraret ingratitude: ita etiam omnia ea, quæcunque hodierna in scientiis felicior ætas indefesso labore per varia experimenta atque observationes in medicinam contulit, unice ipsi tribuere non otiosum magis, quam odiosum censei merito possit. Mediam itaque ingredimur viam ea sine fuce prolaturi, quorum testimonia in monumentis suis Venerandus Senex contemplanda reliquit.

§. IX.

Non est, cur me in laudes magni illius *Viri Hippocratis* nimium hic diffundam, dum plurimi jam satis superque hoc

hoc ipsum præstitere, majora etiam sunt ejus in arte medicam merita, quam ut meo aliquali testimonio vel depingi, vel adumbrari possint; hoc tamen sine injuria celeberrimorum in arte medica virorum tuto dixerim: *Hippocratem esse eum, qui de medicina præ cæteris immortalem reportavit laudem, luculenta ad posteritatem suæ peritiæ atque solertiæ in Operibus suis transmittens testimonia, ita ut nullus facile ex tanto eruditorum numero hætenus repertus fuerit, qui non ipsum vel actu sectetur, vel non saltem de ipso nominari velit, summisque eum evehat laudibus. Merito hic ex recentioribus memorandus venit Celeberr. Baglivus, qui tantopere Hippocratem æstimat, ut totus in eo esse videatur, quomodo omnibus Hippocratis imitationem inculcaret, de quo testantur ejus verba in Animadversionibus suis in Practicam novam §. I. ego, inquit, missis cæteris libris totum me Hippocratis studio tradidi, nec sine admiratione deprehendi doctrinæ illius veritatem, tanquam ex tripodem procedentem. Et ibidem paulo post ait, hæc sunt deliciae Hippocraticæ, Tyrones mei, quarum epulis solum fruuntur & saturantur, quibus discendi studium est ab uno Hippocrate, cujus quidem quælibet sententia veluti senatus consultum litem componit in arduis morborum curationibus. Similiter in §. II. Tyrones medici perpetuum vos hortor Hippocratis studium, solum enim ostendere potuit, quid sit sapere, & cum laude in curandis ægris versari. In eandem Duretius descendit sententiam, dum ait: Fremant licet omnes, dicam tamen, quod sentio, majorem scientiæ & praxeos ubertatem comparari a studioso Hippocratis uno die, quam ab ipsis pragmaticis uno seculo. Eximia sunt quæ Professor quidam Regius Parisiensis Nicolaus Andry in Epistola quadam ad Baglivum data scribit: tanti, inquit, est apud me Hippocratis nomen, ut, cum de Tullio audiam Quintilianum, cum dicit: ille se profecisse sciat, cui Cicero placebit, idem de Hippocrate proferre & in hæc verba sæpe mihi contingat erumpere: ille se in re medica*

pro-

profecisse sciat, cui Hippocrates valde placebit. Neque omnino sine prægnanti ratione viros hos doctissimos illota quasi manu in tantas *Hippocratis* laudes provolasse quisquam suspicabitur. Quod si enim accuratius perpendamus, vix omnium seculorum medicos tot in morbis phænomena, ne junctis quidem operis, descripsisse deprehendemus, quot nobis reliquit magnus *Hippocrates*. Verum enimvero licet hæc omnia de ipso dicta nihil præter veritatem spirent, absurdum tamen foret, ita huc convertere velle ac dicere, quod omnia ea, quæ vera sunt nosque meliora dies docuit, exhaustis atque absolverit. Ast neminem excusationi illius locum denegare existimo, si debite mente perpenderit infelicem illius ævi statum propter philosophiæ naturalis atque experimentorum penuriam: si quidem nihil in sui initio perfectum esse ex universæ naturæ testimonio recte monet philosophus. *Seneca Epist. 64. inquit, multa egerint, qui ante nos fuerint, sed non peregerunt: suscipiendi tamen sunt; multum adhuc restat operis, multumque restabit, nec ulli nato post mille secula præcludetur occasio aliquid adhuc adficiendi.* Ut itaque me brevibus expediam, dico: *Hippocratem* medicinæ parentem minime aliam profectum fuisse medicinam, quam mechanicam, ac proinde latere universam medicinam mechanicam in ejusdem operibus, licet non in eadem forma & ordine, uti hodie eandem conspiciamus, certum tamen, adesse talia mechanisimi feminia ac principia, ut, si quis philosophia recentiorum mechanica imbutus ad solidum rationis calculum ejus scripta revocaverit, haud difficulter eadem inde eruere possit.

§ X.

Corpus humanum esse machinam summo artificio divino perfectam (cujus proprietates ac essentia in eo posita est, ut parte una affecta statim & altera patiat) agnovisse jam olim *Hippocratem*, non obscure colligi potest ex loco qui

qui extat *Lib. de Locis in Homine §. 3. si quis minimam corporis partem malo afficere veli, totum corpus affectionem sentiet, qualiscunque tandem ea fuerit, propterea quod minima corporis pars ea habet, quæcunque & maxima.* Pervidit nempe sapientissimus Senex, nihil machinæ magis esse proprium, quam harmoniam partium inter se, ita, ut quicquid uni vel minimæ parti quoad structuram læsionem infert, illud etiam reliquis vitium affricet. Huc locus etiam referri meretur, qui extat *Lib. I. de Dieta §. 7.* ubi per similitudinem conatur auctor demonstrare corporis mechanismum, cum dicit: *secant homines lignum per ferram, alter trahit, aliter protrudit, idem autem hoc faciunt & minus facientes, plus laborant ac faciunt, sic & hominis natura aliud protrudit, aliud trahit, aliud dat, aliud accipit, & alii dat ab alio accipit, & alii quidem tanto plus dat, ab alio vero, nihil minus accipit,* ubi auctor expresse naturam artificibus mechanicis assimilat; per naturam vero minime immateriale aliquod principium, sed potius ex elementis constatam temperaturam vult intelligi. Notatu etiam dignus est locus auctoris *Lib. de Aliment. §. 4.* ubi in compendio quasi eandem mechanismi in corpore tradit, inquires: *confluxus unus, conspiratio una, consentientia omnia.* Conferri etiam in hanc rem optimo jure meretur *Lib. de Veter. Med. §. 39. 40. 41.* ubi prolixè mechanismum corporis humani inculcat, quæ propter prolixitatem huc afferre incommòdum visum est, ideoque ea legenda B. L. committimus.

§. XI.

His circa mechanismum humani corporis pertractatis ordo nos ducit ad considerationem vitæ, quomodo nempe hæc a causis mere mechanicis dependeat, quantumque illæ ipsæ Hippocrati nostro cognitæ fuerint. Vitam itaque cum *Excell. D. Præsidi* definio, quod sit motus progressivus circularis sanguinis, & humorum ab impulsu cordis & arteriarum, nec non elatere fibrarum dependens, &

*Mechanismus
vite.*

C. cor-



corpus corruptibile ab omni corruptione mediante excretionē vindicans. Definitionem hanc esse genuinam & realem, non opus est multis è longinquo petitis comprobare rationibus: testatur enim experientia, motu hoc sanguinis progressivo præsentē adesse etiam vitam, eo ipso vero in toto corpore extincto illico sensuum ac rationis usum cum ipsa vita perire corpusque in putredinem abire. Formale itaque vitæ non in conservatione mixti a putredine, utpote quæ non nisi consequens ipsius motus est, sed directe in ipso motu intestino & progressivo consistere iudicamus, quod vulgaria testantur curiosorum experimenta in animantibus instituta, quæ, etiamsi nulla amplius in illis percipiatur vita, inflato in ductum thoracicum vel thoracem aere ad vitam mox redeunt cordis motu restituto, quale experimentum etiam adfert *Celeb. Bagliovus in Libro de Fibra motrice pag. 294.* neque etiam dubito in hominibus jam actu mortuis tale experimentum succedere certa encheiresi adhibita, si modo vasa destructa vel obstructa partesque solidæ nimium rigentes non obstant, quominus motus propagari possit ad partes, quod etiam actu experimento comprobatum esse *Cl. Brunnerus in Tractatu de Glan- dulis Duodeni* notabili exemplo testatur.

§. XII.

Cum itaque motus hic sanguinis in circulum actus tam nobile præstet in corpore humano officium, non sine ratione quaeritur, undenam ille motus, & a quo principio deducendus sit? sicuti motum in genere non extra corpus ex aliquo immateriali principio, sed ex ipso corporum mechanismo deducendum esse supra fusius demonstravimus: ita hic quoque in specie idem repetimus asserentes, totam œconomiam vitalem, quæ potissimum motibus secretoriis & excretoriis administratur, non nisi ab artificiosissima humani corporis structura & actione solidorum in fluida, & fluidorum in solida, nec non debita proportione ac tempe-

rie

S. 4. 5. 6.

rie humorum dependere; contemplantes enim humani corporis interiora, deprehendimus omnino motuum instrumenta, quibus partes fluidæ impelluntur & agitantur, nempe fibras maxime & musculos vi activa præditos. Jamque in corpore humano excitato semel a partibus prolificis spermatis elastico motu in solidis & fluidis foetus partibus ob æquilibrium, quod fluida inter & solida intercedit, nec non ob continuum occursum fluidorum in solida, & solidorum in fluida nisi conatumque suum semel inceptum dictus elater præfatis in partibus perpetuat, maxime vero in solidis majori resistentia præditis, quæ peculiari compage ad perpetuandum elaterem, eumque aliis imprimendum prædita sunt, sicut est cor, & dura meninx. Non parum ad huius motus causam investigandam confert quoque fluidi nervei consideratio. Talis enim est fibrarum musculosarum constructio, ut irrigatæ tenuissimo aëreo æthereo-elastice indolis liquido in iusto motu se conservent contrahantque, cujus contractionis vigore ac robore instar emboli liquida contenta propelluntur motumque, Græcis systolen dictum, constituunt: alterum vero motum, Græcis idem diastolen nuncupatum, qui priorem ex necessitate quadam subsequitur, atque a copia & impetu sanguinis in partes musculosas illabentis concitatur, post se relinquunt. Itaque fluidum nerveum fibrarum contractionem, dilatationem vero earundem sanguinis in vicinas partes appulsus efficit. Notandum itaque, quod systole semper sit causa diastoles, & diastole rursus causa fiat systoles, ut hinc continuus fiat motus, quemadmodum hanc materiam solidis argumentis deduxit *Excell. D. Præses in Tom. I. Med. ration.* Et hac ratione facile intelligi posse existimo *Hippocratem*, qui hominem circulum scriptum nominabat *de Locis in Hom. §. 1.* dicens: *mibi quidem videtur principium corporis nullum esse; sed omnia similiter principium, & omnia finis: circulo enim scripto principium non reperitur.*

Ad continuandum hunc vitalem cordis fibrarumque musculosarum motum merito etiam in considerationem venit mirabilis illa cordis cum meninge, hujusque cum illo mutua consensio, ex qua harmonia inter cor & cerebrum petenda est ratio, cur, si dura vel pia meninx gravibus morbis laboret, cor etiam trahatur in afflictionis communionem ejusdemque indicia in pulsu ostendat. Sic in vigore februm pulsus contrahi observamus, in variis capitis morbis, & variis animi operationibus, quæ in cerebro fiunt, varie quoque omnibus momentis alterari pulsum conspicimus. Ceterum neque ultimum præbet momentum ad promotionem motuum vitalium æque ac naturalium atmospheræ manifesta in corpus humanum potentia, quæ pressione sua in pulmonibus sanguinis cursum summopere promovet & ita cor adjuvat, ut exigua fere vi possit sanguinem e suis sinibus ad remota quæque spatia prolicere, quod vulgari experimento manifestum fit: si nempe animal quoddam vacuo imponatur aërque moderatus subtrahatur, nihil certius, quam mors subsequitur, admissio vero de novo aëre vita, motus, viresque illico restituntur. Ex quibus unicuique secundum rectam rationem philosophanti facile patet, id, quod cor aliasque solidas partes movet viresque iis ac vigorem conciliat, totamque œconomiam vitalem absolvit, a solis materialibus causis dependere, neque penitus necessarium esse concursum entis cujusdam, quod noticia rerum intima, perceptione, multo minus, quod dirigendi motus facultate gaudeat in corpore nostro.

§. XIV.

Ex notione jam illorum, quæ de summo mechanismi in structura corporis humani reconditi artificio diximus, judicare promptissimum erit per naturam humanam (quæ secundum Hippocratem omnis sermonis seu ratiocinii in

See p. 10.

medicina fundamentum est) minime innui intelligens
 quoddam principium internum, quod ex noticia innata,
 intentione & directione ad certos fines agat, multo minus
 animam rationalem, quæ earum rerum corporearum pla-
 ne non est conscia. Rectius itaque per naturam sensu me-
 dico sumtam intelligimus ordinatos ad certos fines à sum-
 mo & divino Architecto motus ex sapienti structura par-
 tium solidarum & dispositione, temperie, ac proportione,
 item potentia motrice fluidarum dependentes. Hanc
 fuisse mentem de natura humana clarorum in medicina vi-
 rorum antiquiorum æque ac recentiorum ipsiusque aucto-
 ris nostri Hippocratis luculenta comprobant testimonia.
 Tacemus hic Platonem naturam artem diuinam in materia
 dicentem; tacemus Asclepiadem teste Cælio Aureliano na-
 turam nonnisi corpus ejusque motum asserentem; silen-
 tio etiam involvimus plures alios antiquos, quorum feri-
 em hic texere possem numerosissimam, similiter de natura
 differentes, solusque nobis ex veteribus sufficiat Hippocrates.
 Ex recentioribus eximia sunt, quæ in hanc rem habet Cl.
 Baglivus Prax. Med. Lib. 2. Cap. 1. ego, inquit, nature nomi-
 ne non intelligo sapiens quoddam phantasma, quacunque va-
 gans & consilio singula dirigens, sed complexum quandam
 generalem causarum naturalium; quæ licet consilio destituan-
 tur, effectus tamen suos parium juxta leges a summo condito-
 re inditas, atque ita ordinate, ut quasi summo regi consilio vi-
 deantur. Idem sentit etiam D. Sydenham. Sect. 2. de Morbis
 Acutis pag. 158. dicens: ego, quoties naturam nomino, toties
 causarum naturalium complexum quandam significari volo,
 quæ quidem cause, bruta licet, atque omni consilio destitute,
 non tamen sine consilio summo reguntur, dum suas queque
 operationes edunt, suosque effectus exequuntur. Hanc
 eandem sententiam ipsum Hippocratem fovisse expresse te-
 statur Lib. 1. de Dieta §. 6. ubi hæc extant: corpora, quæ fa-
 cium

ref. h. b. g. a
sl. b. g.

ciunt, non sciunt, quæ vero faciunt, scire sibi videntur, & quæ vident, non cognoscunt; at tamen omnia in ipsis sunt per divinam necessitatem & quæ volunt, & quæ non volunt: accedentibus vero illis huc, his vero illuc, & inter se permixtis unumquodque destinatum fatum explet & ad majus & ad minus. Sic etiam *Lib. de Alimento* indoctas animantium naturas vocat, id est, non consilio, neque delectu agentes, sed profecto quasi edoctæ operantur; per naturam vero hanc licet *Hippocrates*, juxta mentem *Galeni*, intelligat temperaturam ex calidi, frigidi, humidi, ac siccæ confusione ac mixtione genitam: hoc tamen pro scopo nostro sufficit, illum non aliud per naturam, quam complexum causarum corporearum intellexisse.

§. XV.

Ast fortassis objiciet hic aliquis: quo jure queat adferri, quod *Hippocrates* per naturam intellexerit eum, quem nos volumus, corporis mechanismum, cum tamen notitia circuli sanguinis destitutus fuerit, sine qua verus de natura corporis mechanica, imo de œconomia totius corporis conceptus formari neutiquam possit. Novi equidem plures etiam doctissimos inter se hac de re disceptare, utrum nempe circulus sanguinis magno *Hippocrati* fuerit cognitus, an vero primum sit inventum sagacissimi *Harvæi*? verum *Hippocratem* hunc circulum sanguinis minime latuisse, facile ex ejus monumentis eruitur. Celebris est locus, quem auctor habet *Lib. de Alim. §. IV. alimentum*, inquit, *in pilos & unguës extimamque superficiem ab internis partibus extremaque superficie ad interna redit.* Hisce ex verbis manifesto concludere licet, minime *Hippocrati* circulum sanguinis ignotum fuisse. Quomodo enim, quæso, alimentum (quo nomine sanguinem intelligit) in extimas usque corporis partes fertur, & ab externis ad interna redit sine circuli

lari sanguinis motu. Pergit auctor porro ibidem dicens: *principium magnum ad extremam partem pervenit, ex parte extrema ad magnum principium redit*; ubi per principium magnum in sensu priori sanguis dubio procul intelligendus est, principium scilicet nutritionis præcipuum, in sensu secundo vero cor principium scilicet vitæ, & certo sensu primum movens, & ultimum moriens, ad quod ab externis partibus sanguis refluit. Licet itaque auctor non expresse dicat sanguinis impulsum per arterias, reditum vero per venas fieri, hoc tamen ejus cognitioni parum aut nihil præjudicat. Meretur etiam in hanc rem notari locus, qui extat in *Hippocr. Lib. I. de Dieta §. 32. Tardiore existente circuitu sensus paulatim allabuntur, & qui acuti existunt, parum commiscetur propter circuitus tarditatem. Similis extat locus Libro de Flabibus §. 13. sanguis enim ipse natura calidus existens vi coactus per angustam viam celerissime transire non potest, cum multa impedimento sint obstacula & oppilationes, quæ propter etiam pulsus sunt circa tempora. Idem ibid. §. 21. prohibet, inquit, sanguinis cursum, atque alio quidem loco consistit, alio lentius penetrat, alicubi autem citius. It. Lib. de Sanitate Tuenda ad Mæcen. per omnia viscera venæ currunt, quæ sanguinem vehunt, ex quibus huc omnino meridiana clarius patet, nostro Hippocrati circuitum sanguinis probe cognitum fuisse. Quod si vero rationari velimus (sicut & merito fit) a suppressione, aut inhibitione motus, ut stare sanguis quasi videatur, habemus expressum locum *Popularium lib. VI. Sessione 7. n. 49. aquat & deorsum* ☞ *5 de orie de orio de orio. i. e. sanguinis venarum suppressione faciunt animi deliquium.* Quod si vero a spirituum motu ac radiatione, evidens est locus *Lib. de Morbo Sacro §. 6.* Non enim possibile est spiritum stare, sed procedit sursum ac deorsum. Plura etiam sunt loca, quæ sanguinis circuitum auctori nostro cognitum fuisse certo evincunt,*

ut sunt *Lib. de Insomniis* §. 8. Item *Lib. 2. de Morbis* §. 8. quæ
fufius hic recensere inſtituti ratio non permittit.

§. XVI.

Porro auctorem noſtrum in hoc circulo ſanguinis
vitam conſtituiſſe, ſanguinemque pro vitæ theſauro habu-
iſſe, non obſcura in ſcriptis ſuis evincunt teſtimonia. Legi
hac de re meretur totus liber *Hippocratis de Corde*, ubi
egregie & ſatis mechanicè vitam, in quo conſiſtat, descri-
bit. Inter cætera aurea ſunt verba §. 5. *hi fontes ſunt huma-
næ naturæ, & hi ſtamina ſunt, quibus totum corpus irrigatur,
atque hi etiam vitam homini conferunt, & ubi reſiccari fue-
rint, homo moritur; item Lib. 2. de Morbis, §. 8. dum ſanguis
non movetur, fieri non poteſt, ut non etiam corpus quietar ac
torpeat, & ſi frigiditas ac congelatio augeſcant, penitus conge-
laſcit, ac perfrigeratur homo & moritur.* Huc etiam faciunt
verba auctoris *l.c. §. 8. mens hominis in ſiniſtro ventriculo cor-
dis inſita eſt, & reliquæ anime imperat. Nutritur autem ne-
que cibis, neque potibus a ventre, ſed pura, & illuſtri ſub-
ſtantia ex ſanguinis diſcretionè nata; ubi notandum, quod
veteres magnam vim caloris ad ſuſtentandam vitam de-
prehenderint, hinc etiam ſtatuebant, principium vitæ cau-
ſamque omnium functionum in animantibus. Sequitur illud
ſubſtantiale & *ἰμπεριον*, quod in corde reſidere credebant,
ſicut hoc patet ex loco, qui eſt Princip. §. 7. *calidum pluri-
mum in venis ac corde ineſt, & propterea ſpiritum cor tra-
hii ſurſum quod omnium intra hominem calidiſſimum exiſtat,
& hinc animam moventem igneæ indolis eſſe ſtatuebant,
unde Hippocr. *Lib. 1. de Dieta.* ignem omnia per omnia mo-
vere dixit. Hæc vero anima veterum, ut etiam ipſius Hip-
pocratis calidum innatum aut ſpiritus impetum faciens non
aliud dubio procul eſt, quam ſanguinis pars ſubtiliſſima
magna potentia elatiſca donata a calida ætheris materia
ſubtiliſſata, hinc etiam auctor ſtatuit, hanc materiam pura
& illuſtri ſanguinis ſubſtantia nutriri, quod vero per ani-
mam**

mam nequaquam materiæ expers, & rationis particeps ali-
quod principium intelligat, patet ex loco *Epidem. lib. VI.*
ubi hominis animam semper produci, id est, vegetari ad
mortem usque statuit. Egregius etiam est locus *Lib. de Sani-
tate Tuenda ad Mecen. §. 2.* calore continetur anima, qua vi-
vimus, id est, qua vivi sentimus. Et ibidem: *humidus est
sanguis, quo alitur vita, per omnia enim viscera vene currunt,
que sanguinem vehunt; sanguis animam, anima vitam sustinet.*
Ast ne gratis etiam fluidi nervei, seu spirituum animalium
concursum ad motus vitales supponere videamur, quia ra-
tiones pro ea militantes hic adferre strictiores dissertatio-
nis nostræ limites non permittunt, pro ratione instituti
fussederit auctoris testimonium in hanc rem allegare. E-
gregie *Hippocrates* de generatione hujus fluidi nervei ejus-
que functione differit *Lib. de Morbo Sacro §. 8. 16. 17.* inter
cætera memorabilia sunt, quæ habet §. 17. *Et propterea ju-
dico, cerebrum vim plurimam in homine habere. Hoc enim
est nobis eorum, quæ ab aëre sunt, interpres, si sanum fue-
rit, sapientiam autem ipsi exhibet aër. Quum enim homo spi-
ritum in seipsum attraxerit, primum quidem ad cerebrum
pervenit, & sic ad reliquum corpus aër dispergitur, relinquens
in cerebro suum ipsius vigorem, & quicquid prudens, & sapien-
tia præditum fuerit.* Ubi notandum, quod per aërem hoc
loco non intelligi debeat crassior ejus substantia, sed po-
tius, quod in illa continetur, agilissimum & purissimum ele-
mentum, quod ætheris nomine venit, quod caloris fons
est, robur, motum atque vigorem fluidis & solidis corpo-
ris nostri partibus adfert.

§. XVII.

Perpectis itaque iis, quæ ad vitæ ejusque causarum
considerationem mechanicam pertinere videbantur, or-
do nos ducit ad sanitatis morborumque causarum mecha-
nicarum investigationem, ad quod etiam præstandum nul-

*Mechanicæ
sanitatis
morborum*

D

la alia nobis, quam mechanica sufficiunt principia, materia nempe & motus: nulla enim mutatio nisi per motum concipi potest, motus vero non nisi materiae est affectio, unde videre est ad demonstrationem tam naturalis, quam praeternaturalis status humani corporis non alia, quam mechanica suppetere principia. Sanitatem vero definimus, quod sit integritas functionum vivi & animati corporis dependens a convenienti proportione motuum fluidorum ad solida & solidorum ad fluida, unde patet, morbum, qui sanitati est oppositus, non aliud esse, quam laesionem dictarum functionum a turbata motuum proportione originem trahentem, quas definitiones suis gaudere veritatibus probatur exinde, quod sanguinis motu per universi corporis partes moderato ac aequabili existente animadvertamus omnes corporis functiones recte se habere, quo vero motu aequabili sublato illico etiam sanitas labefactatur. Sciendum itaque in antecessum est, maximam solidis vim inesse, quae, ne ulterius, quam par est, intenderetur, temperari certo liquidorum libramine debuit, quod etiam factum est. Aeternae enim motuum leges nos docent, corpus in motu positum tantum de suo motu amittere, quantum imprimit in illud, in quod incurrit, ut videre est apud Borellum in Lib. de vi percussiois, ex quo constat perpetuum in natura dari actionem corporum & reactionem, sive in corpore humano mutua dari solidorum in fluida, & fluidorum in solida actionem & reactionem, quae, si talem proportionem habeant, ut moderato & libero impetu ac motu fluida per minimos tubulos ferantur, sanitatis ratio perfecte inventa est.

§. XVIII.

Cum itaque sanitas in dicta motuum proportione consistat, facile patet, nutante hac harmonia laesionem & turbationem functionis corporis nostri, sive morbum illico subsequi, intensior enim factus solidorum elater, atque fibrarum impulsus spasmus inducit, quo vasa constringuntur

Sanitatis qd

Morbus qd

Spasmus

tur, fluidorum liber motus intercipitur, hincque in vasis capillaribus sanguinis mora lentor & stagnatio presso pede sequuntur, unde plurimorum morborum phalanges originem suam trahunt. Hanc rem manifesto evincit hypochondriacorum & hysteri-
corum malorum natura, quorum formalitas nonnisi in motibus spasmodicis & inde dependente inæqualitate circuli sanguinis consistit, tamque multiformis symptomatum facies ex alterna partium spasmodica corrugatione & relaxatione, verbo: a proportionemotus destructa, viriumque abolitione deriuari debet. Maxime notabilis etiam est mutua cordis cum cerebro confensio, quæ sensus motusque rationem subministrat, ita, ut, si cordis vigor & impetus superet meningum resistentiam, oriatur statim in capite turbatio & confusio. Quodsi vero contingat, duram matrem fortiori texture præditam esse, motuique cordis quodammodo prævalere, mutato inter hæc duo mobilia æquilibrio & proportionem, cor debilius vehementioribus duræ matris pressionibus cedit, ideoque tales homines acutos / ut plerumque / sensus habere solent, & ob quamcunque mentis agitationem levemque affectum maximis pulsum turbationibus subjacent. Hac de causa etiam videmus in acutis affectibus, quando nimirum crispatur dura meninx, oriri vigilias continuas, quibus sæpe etiam supervenit delirium ac delirio lethargus. Ita etiam mania, quoniam duræ matris elater ad extremum quasi gradum excrevit, violentos motus in partibus excitat, ut eo morbo correpti adeo sint validi, ut humanas prorsus vires excedere videantur.

§. XIX.

Posita sic formalitate morborum, quam in æquilibrîi solidorum ad fluida sublatione consistere diximus, proximum est, ut etiam in causas hujus æquilibrîi sublatis paucis saltem inquiramus, quas quidem commode secundum mentem *Excell. Dn. Præsidis* ad duas referri posse classes merito censemus,

semus, sunt enim vel materialis, vel imateriales, has solo actu ideali anima producit, animique affectus audiunt; illæ vero a causis variis materialibus subalternis dependent, inter quas merito primas tenent venena seu sint extrinsecus assumta, seu intra corpus genita, plethora, seu nimia sanguinis abundantia, cacoehymia seu humorum impuritas; res præterea naturales & non naturales, a quibus omnibus morbos in corpore humano pure mechanicæ vel immediate, vel mediate dependere, nisi instituti nostri ratio ærtioribus nos circumscriberet limitibus, juxta seriem demonstrare res esset facillima: ubi tamen merito monendum duximus, animi quidem affectus nos ad principales morborum causas retulisse (quod forte nonnullis mechanismo contrarium videbitur) utroque nos concedere, sicut jam supra monuimus, animam motus vitales turbare, ac pervertere posse, ac proinde ad principales morborum causas rite annumerari debere; neutiquam tamen inde sequitur, omnes motuum causas in corpore ab anima dependere, neque hoc quicquam mechanismo humani corporis præjudicat, quamprimum enim illa immaterialis, libere agens causa, nempe anima corpus afficit, totum id, quod producit, nonnisi corporeum est, adeoque legibus mechanicis obediens. Nil itaque refert, causam mutationis non esse mechanicam, cum hac insuperhabita effectum, qui est corporeus, cognoscere, excutere atque dirigere mechanico detur medico, quod omnino pro scopo medici sufficit, non enim medico, qua medico in causam illam immaterialem in sanandis morbis quidquam agendi data est potentia, sed ibi potius remedium vel ex Verbo Dei vel ex philosophia morali in componendis nempe affectibus rectius deducitur, sicut inter hanc doctrinam, & medicinam amicabilem dari nexum ultro concedimus, de qua re meretur etiam legi *Dissertatio Excell. Dn. Alberti Præ-*

§. 7.

*ceptoris mei etatem de venerandi de Medicina, & Doctrina
Moralis nexu.*

§. XX.

Porro jam sequitur pro scopo nostro, ut demonstre-
mus, auctorem nostrum *Hippocratem* easdem, quas præ-
misimus, sanitatis ac morborum, ac pro inde non alias,
quam mechanicas agnovisse causas, quod quidem ex ejus
scriptis perquam facile præstari posse existimo. Totus
enim in Operibus suis Venerandus Senex in eo est, ut in
culcet, proportionem, temperiem, moderationem, æqui-
librium in motibus, item in materia mobili proportionem
in quantitate, & mixtione pro tuenda sanitate servari de-
bere, contra ab inæqualitate motuum & intemperie ac
mutata proportione humorum turbationes functionum in
toto corpore fieri, atque ex eodem fundamento plurimo-
rum morborum ac symptomatum originem dependere
mechanice demonstrare conatur. In horum confirmatio-
nem legi præclara possunt, quæ auctor habet *Lib. de Natura
Humana §. 5. 6. homo, inquit, constat ex sicco, humido, cali-
do & frigido, hincque sanguinem & pituitam, & bilem
duplicem, flavam & nigricantem habet, & sanus maxime
est, ubi temperamentum hæc inter se habuerunt moderatum,
tum facultate, tum copia, & ubi maxime fuerint permixta
ægroratur autem, quum horum quod minus, aut amplius fue-
rit, aut separatur in corpore, & non fuerit reliquis omnibus
contemperatum. Similis huic locus est de Prisca Medic. §. 24.
ubi hæc extant: inest in homine & amarum, & salsum, & dulce,
& acidum, & fluidum, & alia infinita omnigenas facultates
habentia. Atque hæc quidem mixta & inter se contemperata, ne-
que conspicua sunt, neque hominem ledunt: Ubi vero quid ho-
rum secretum fuerit, tunc & conspicuum est & hominem ledit.*
Ex his locis clare apparet, gravissimum nostrum auctorem
sanitatis causam in temperata mixtione partium sanguinem
constituentium posuisse, neque omnino sine ratione, flui-
do-

dorum enim ratione quantitatis & mixtionis debita constitutio causa est motuum, qui fiunt cum debita proportione in animantium corporibus; solida enim non nisi per fluida moventur: simili ratione morborum causas idem auctor primario quærit in mutata illa & præternaturali mixtione & crasi partium, quæ sanguinem constituunt; sic etiam egregie ab inæqualitate circuli sanguinis plurimos morbos mechanice deducere videtur, quando flatibus, qui nostro sensu non nisi spasmi sunt, eorum genesis adscribit, ut hoc videre est Lib. 1. de Flatibus §. 21. cum, inquit, in crassiores, & pleniores sanguine venas aer prodierit progressusque diutius maneat, prohibet sanguinis cursum, atque alio quidem loco consistit, alio lentius penetrat, alicubi autem citius. *Qua sane inæqualitate transitus sanguinis per corpus facta omnigenæ inæqualitates per omne corpus contingunt, unde totius corporis subversiones fiunt.*

§. XXI.

Ad conservandam vero sanguinis temperiem & ratione quantitatis proportionem utique res a medicis non naturales diætæ multum conferunt, siquidem certum est, quod ex iis vivamus, ægrotemus, sani simus & moriamur. Temperiem igitur sanguinis & debitam proportionem temperatus harum rerum usus tam ratione quantitatis, quam qualitatis conservat; Atque in eo jam totus est noster Hippocrates, ut ad sanitatis tutelam moderatum usum ciborum, potus, veneris, aeris, quietis, somni quoque & vigiliarum commendet, siquidem Epidem: Libr. VI. §. VI. §. 6. ait: labor, cibus, potus, somnus, Venus, omnia mediocria. Elegans quoque hanc in rem extat locus Libr. 1. de Diætâ §. 8. cum inventa fuerit ciborum mensura & laborum ad unamquamque naturam numerus, ita ut excessus neque supra neque infra modum fiat, inventa sane exacte fuerit hominibus sanitas. Item Libr. de Alimento §. 8. magna res est ciborum quantitas ad vires solerti ratione adaptata. Similiter de veteri Medicina §. 7. multa

multa & gravia ex robusto & ferino victu homines patiuntur, qui intemperatus & magnas vires habens ingeritur. Parallelus huic est locus in Aphor. Sect. II, §. 17. ubi p. n. copiosus cibus ingestus est, is morbum creat. Etenim nimia ciborum copia neque a ventriculo bene concoqui (quoniam tonum ejus mole sua labefactat) neque in succum bonum converti potest; accedit etiam, quod nimia chyli copia minus commode a sanguine subigi possit & sic perspirationem manifesto impediat, sordiumque excrementitiarum ad interiora fiat recessus, unde varia morborum genera presso quasi pede sequuntur. Recte de hac re *Fernelius* sentit in *Pathologicis Libr. I. Cap. XV. abdomen insatiabile perniciosam sentinam* appellans. Argute etiam idem auctor *intemperantiam medicorum nutricem* nominat. Laudari itaque de jure meretur antiqui philosophi *Pythagoræ* consuetudo, qui suam philosophandi rationem a sobrietatis studio exorsus est. Sic etiam *Plato temperantiam vitæ custodem* esse egregie perhibet. Præclara itidem sunt *Sanctorii* verba *Libr. II. aph. 33. si sciveris quotidie, quantum cibi conveniat, scies vitam diutissime conservare.* Pergit noster *Hippocrates de Locis in Homine §. 54. dicens: cibos offeramus ea copia, quantum corpus, cui offeruntur, superare valet: nam, si corpus ipsos cibos superare velit, neque morbus, neque contrarietas fit ex his, quæ offeruntur & hæc est occasio, quam medicum nosse oportet.* Quadrant huc etiam ea, quæ habet *Libr. IV. de morbis §. 10. si homo parum edit & parum bibit, nullum morbum hoc ipsi inducit.* Præter hæc loca recensita legi meretur totus *Liber. IV. de Morbis*, ubi, quomodo fanitas ab ingestis & egestis fiat, clarissime ostendit,

§. XXII.

Verum enimvero non modo simpliciter vitam ac fanitatem, sed etiam ipsam sapientiam humanam plurimum a bona diæta & sanguinis temperata crasi dependere, variis in locis auctor testatur. Aurea sunt, quæ habet *Libr. de Diæta,*

Dieta, ubi sedulus in eo est, ut demonstret, ex tempera-
tura, vel intemperatura, item ex diæta sapientiam & defi-
cientiam procedere, dum §. 29. inquit: *quando in corpore
elementa temperamentum acceperunt, sapientissimi sunt homi-
nes.* Et recte etiam §. 84. *melior redditur anima recte dia-
e usu & pejor prave.* Experientia enim constat, ex ni-
mia repletione ingenii alacritatem pessundari corporique
lassitudinem, torporem, pigritiem ac somnolentiam super-
induci, cujus ratio non alia est, quam quod nimia succo-
rum resistentia cordis ac fibrarum tonum ac motum infrin-
gat & sic æquilibrium inter movens & mobile manifesto
tollatur, functionesque animales æque ac vitales sufflami-
nentur. In hanc sententiam conspirat etiam ipse *Celsus*
Libr. I. Cap. 2. dicens: *ubi ad cibum ventum est, nunquam
tura est nimia satietas.* A sanguinis vero crasi & circulo
æquabili sapientiam dependere, egregie monstrat *Hippo-
crates Libr. de Flatibus §. 20.* opinor autem, inquit, *inter o-
mnia, que in corpore sunt, nihil magis ad prudentiam con-
ferre, quam sanguinem, qui, quum in constanti persistit habi-
tu, consistit & prudentia, sanguine vero permutato concidit
simul & prudentia.* Item *Libr. I. de Morbis §. 28.* *sanguis,
qui est in homine, maximam partem ad prudentiam confert.*
Similiter sapientiam hanc dispositione organorum depen-
dere, fuse demonstrat in *Libr. de Morbo Sacro §. 16. 17.* Hinc
admodum scite etiam *Cartesius in Dissert. de Methodo* scri-
bit: *animus adeo a temperamento & humorum corporis dis-
positione pendet, ut, si ratio aliqua possit inveniri, que homi-
nes sapientiores & ingeniosiores reddat, quam hæcenus fue-
runt, credo, illam in medicina quæri debere.* Ex quibus om-
nibus colligere licet, causas illas, quæ vitæ, sanitati, ani-
mique inclinationibus præsent, nonnisi vulgares esse & ad
classẽ rerum materialium pertinere; nihil enim est com-
munius, quam ut diversitatem temperamentorum, sexus,
varii vitæ status atque ætatis, varia etiam animi vis & per-
fectio

fectio subsequatur, hinc mulieres & pueros propter molli-
tatem cerebri ac fibrarum ad inveniendam docendamque
veritatem recte impares iudicat *Baglivus in Dissert. de Ana-
tome Fibrarum & Morbis Solidorum pag. m. 411.* Meretur
etiam hic legi *Dissert. Excell. Dn. Præsidis de Temperamento
Fundamento Morum & Morborum in Gentibus.*

§. XXIII.

Plethora etiam nostrum *Hippocratem* principalem in
morbis producendis locum assignasse, non obscura in scri-
ptis ejus testantur monumenta. Manifestus est locus, qui
extat *de Sanitate Tuenda ad Mæcenarem §. 3. sanguis, cum
abundat, valetudinem vitiat.* Quomodo vero sanguis abun-
dans valetudinem vitiet, ex mechanicis res explicatu est fa-
cillima; siquidem ad omnem motum requiritur, ut resi-
stentia corporis mobilis superetur a virtute motrice, alias
motus produci non potest. Quo vero major est resisten-
tia mobilis, eo plus detrahit virtuti motrici, & quo minor,
eo minus. Quod si itaque major iusto sit sanguinis quanti-
tas, major quoque sit sanguinis resistentia, plusque virtuti
cordis motrici detrahitur & sic lentiore facto sanguinis cir-
cuitu non potest aliter fieri, quam ut humorum crassities,
vasorum infarctus, obstructions & indurationes & exinde
scorbutus, cachexia, mensium suppressiones, asthma, cal-
culus renum, ipsum quoque malum hypochondriacum a-
liique affectus subsequantur quamplurimi, quæ omnia au-
ctor noster probe cognoscens præclare *Libr. IV. de Morbis*
§. 10. scribit: *accedente ad cor & corpus sanguine, quam sa-
tis est, uberiore a cibis & potibus & ad alium humorem ad-
mixto, si non ab ipso egressus fuerit per alvum aut vesicam
reliquo humori admixtus dolorem corpori inducit; san autem
paulatim copiosior fiat, morbosus efficitur.* Neque dissimilis
est locus in *Aphorism. Sect. I. §. 3. athletarum habitus ad sum-
mum progressi periculosi, & si in extremo constiterint & quia
non ultra possunt in melius proficere, reliquum est, ut in de-
teri-*

serius labantur; neque vasorum confidentie ad extremum producende: nam evacuationes, que ad extremum tendunt, periculose, & rursus refectiones, cum extreme fuerint, periculose. Hoc loco auctor egregie sanguinis nimiam abundantiam æque ac nimium defectum morbos procreare athletarum exemplo docet, in quam rem pulchre ipse *Celsus* ita scribit: *si plenior quis & coloratior & speciosior se ipso factus videatur, suspecta sua bona habere debet.* Notandum vero hic est ex prius allegato *Hippocratis* loco, quod non tantum plethoram, sed & sanguinis inopiam periculosam esse pronuntiet, cujus ratio facile patet: summa enim lex est sanitatis, naturam gaudere temperie, & omnia temperata esse debere tam quoad quantitatem, quam quoad qualitatem, omniaque nimia naturæ esse inimicissima. Quodsi igitur sanguinis est quantitas, quam vi motrici solidorum resistere possit sublata temperie & æquilibrio solidorum ad fluida totam œconomiam corporis humani turbare ex superioribus liquet.

§. XXIV.

Porro ipsum aërem quoque, quem continuo inspiramus, in conservatione vitæ ac sanitatis, ipsaque morborum generatione non postremum occupare locum, egregie in scriptis suis demonstrat noster *Hippocrates*, sicut hoc testatur faciunt *Libri ejus præcipui de Aëribus* nempe, *Aquis & Locis, de Flatibus, de Locis in Homine*; item *de Natura Humana*, in quibus summa cum cura ac diligentia in id incubuit, ut demonstraret, quomodo aër, isque secundum ventos, anni tempora & tempestates mutatus ad morbos generandos eosque feliciter curandos conferat; neque omnino sine evidenti fundamento ac ratione mechanica, nequidem aër & alimenta non tantum corpus nutriunt, sed & robur ac vim motricem partibus solidis æque ac fluidis subministrant. Maxime omnium vero fluidum illud subtilissimum aëreo-æthereo-elasticum elementum vires corporis

poris & per consequens æquilibrium inter solida & fluida sustentat, hinc noster auctor *Libr. de Dieta* ætherem vocat ignem per omnia moventem : habet enim aër subtile quoddam elementum veteribus *περὶ αἰθέρος* dictum, quod activitatem calore ac spirituascencia sua animantibus largitur. Eximia quoque sunt, quæ *Libr. de Aëribus, Aquis & Locis* §. 1. de aëris ac ventorum noticia tanquam ad medicinam summe necessaria profert, cum ait: *quicumque artem medicam integre consequi velit, primum quidem anni temporum rationem habere debet, quantum potentia eorum valeat, deinde ventorum, qui in unaquaque regione sunt indigenæ & proprii, urbium situs & natura aquarum nota sit. Hominum insuper diæta perquirenda, qua maxime capiantur; ex his enim singula sunt investiganda, & qui hæc probe, quantum fieri potest, invenerit, ille errare non poterit, sicubi ad morborum indicationem adhibeatur.* Notari hic obiter merentur eximia *Seneca* verba, quæ profert *Libr. II. de Ira Cap. 16. in frigora septentrionemque vergentibus immansueta sunt ingenia suoque, ut Poeta inquit, simillima celo.* Præclare etiam *Aristoteles Probl. IV. §. 14.* dicit: *optima temperies aëris non corpori solum, verum etiam hominis intelligentiæ prodest, decessus autem omnes ut corporis, ita etiam mentis temperamentum pervertunt.* Fufius hac de re legi meretur exauctatissima *Dissert. Excell. Dn. Præsidis de Temperamento Fundamento Morum & Morborum in Gentibus, ut & ejusdem Dissert. de Morbis certis Populis ac Regionibus propriis.*

§. XXV.

Quodsi igitur tanta sit aëris puri ac temperati subtiliori calido, æthereo elemento imbuti potentia vitam & sanitatem dirigendi atque temperamenta hominum moresque ac dispositionem ad morbos modificandi, sane nullus aërem immutatam & præter naturam constitutum corpus variis modis afficere & ad multos morbos disponere in dubium revocabit: quantum enim aëris impuri energia ad

morborum epidemicorum certis temporibus populariter
 grassari solitorum productionem conferat, vel in ipsum vul-
 gus notum est, cujus nulla alia subest causa, quam quod aër
 supra modum intemperatus & putredinosa exhalatione vel
 miasmate inquinatus corpus putredine inimica vitiat, mo-
 tum ac robur partium solidarum subtrahit, corpusque ad
 supervacuorum humorum dissolutionem ineptum reddit
 & sic putredo retenta ex uno corpore in aliud transit, sicut
 hoc fusius deducit *Excell. Dn. Præses in Diss. de Intemperie
 Aëris multorum Morborum causa.* Præclare noster auctor
 quoque more suo *Libr. de Nat. Hum. §. 18.* scribit: *morbi
 partim ex diætiis, partim ex aëre, quem inspirando trahimus,
 fiunt.* Item paulo post: *quando ab uno morbo multi homi-
 nes corripuntur, eodem tempore causam ad id, quod commu-
 nissimum est & quo maxime omnes utimur, referre potest. Est
 autem hoc spiritus & aër, quem inspirando trahimus.* Item
 §. 19. *cum unius morbi popularis grassatio consisset, manifestum
 est, spiritum, quem trahimus, id est, aërem in causa esse, palam-
 que est insuper eum ipsum spiritum sive aërem morborum ali-
 quam exhalationem habere.* Et quoniam aër quandoque ad-
 modum fertilia morborum contagiosorum seminia fovet,
 hinc non inconcinne cautelam practicam subnectit his ver-
 bis: *providendum vero, ut quam paucissimus aëris influxus in
 corpus ingrediatur & ut ipse quam peregrinissimus existat;
 regionum enim locos, in quibus morbus consisset, quantum fieri
 potest, permutare oportet.* Consideratione quoque dignis-
 simus omnino est locus, qui extat *Libr. de Flatibus §. 4.* cor-
 pora omnia tum hominum, tum reliquorum animalium a tri-
 plici nutrimento sustentantur; horum autem nomina sunt ci-
 bus, porus, spiritus; spiritus quidem maximus est in omnibus,
 que corpori accidit, & auctor & dominus. Item paulo post
 enarratis prius proluxe aëris proprietatibus subiungit: *vi-
 des ex his, que dixi, quanta communitio omnibus animalibus
 in fruendo aëre existat.* Subjiciam igitur & illud, quod non
 aliun-

aliunde unquam verisimile sit morbos evenire, quam inde, si is aut plus, aut minus, aut cumulator, aut morbidis fordibus inquinatior in corpus inluat.

§. XXVI.

Perſpectis ac conſideratis iis, quæ ad vitæ, fanitatis morborumque cauſas mechanicas pertinere videbantur, ſuperest jam ultimo, ut etiam de ipſa therapia Hippocratis mechanica nonnulla adjiciamus. Quid vero nos per therapiam mechanicam intelligamus, facile ex ipſa morborum notione ſuperius tradita liquet. *Θεοτελευτη* enim ſive ſanare ex mechanicis principiis nihil eſt aliud, quam cauſas morborum per remedia congrua adjuvante natura tollere; ſiquidem omnia illa, quæcunque æquilibrio, temperiei, mixtura & motui partium corporis incongrua, improportionata, ſimul vero activitate imbuta ſunt, cauſam morbificam conſtituunt, motusque naturæ turbare morbumque, imo ipſam mortem producere apta ſunt. Ad has igitur motuum turbationes a cauſis morbiſicis concitatas in ordinem redigendas partiumque læſiones redintegrandas opus eſt methodo rationali, opus eſt medicamentis vi activa inſtructis & ad cauſas morbiſicas amovendas directis. Atque in his univerſæ therapie cardo unice vertitur.

*Mechanica
ræ
Therapia*

§. XXVII.

Auctorem noſtrum Hippocratem medicorum facile principem non alia methodo in ſanandis morbis fuiſſe uſum, quam rationali, id eſt, mechanica, haud obſcura in ejus Operibus evincunt teſtimonia. Cedro hic cum primis notatu digna ſunt, quæ *Libr. Epidemior. VI. Sect. II. num. 1. & ſeqq.* extant, ubi graviffimus auctor hunc in modum diſſerit: *dilatare, conſtringere, alia quidem, alia vero non. Humores alios quidem expellere, alios vero ſiccare, alios autem indere, & alia quidem parte, alia vero non. Attenuare, craſſefacere corpus, cutem, carnes & alia: & alia*



qua quidem, alia vero non. *Levigare, exasperare, indurare, mollire, alia quidem, alia non. Excitare, torpescere & quaecunque alia huiusmodi. Derivare, succedentia statim revellere, renitentibus concedere. Alium humorem non prodeuntem ducere, prodeuntem vero simul effundere: operari simile, velut dolor dolorem sedat. Dissimilia, si vergant sursum elevata, inferne solvere & contraria per eadem: velut est capitis purgatio, venesectio, quando non temere detrahitur.* Pulchre etiam *Libr. de Flatibus §. 3.* medicinam practicam definit his verbis: *medicina nihil aliud est, nisi adpositio & ablatio, ablatio quidem eorum, quae excedunt, adpositio vero eorum, quae deficiunt; qui autem istud optime facere potest, is optimus medicus censetur, quantumcunque quis ab hoc prestando deficit, tantum deficit quoque ob ipsa arte.* ubi manifeste innuit, totam medicinam practicam in eo terminari, ut proportio, temperies, moderatio atque æquilibrium in motibus æque ac materia mobili procuretur; Quid enim aliud est superflua in corpore humano demere & quae deficiunt, supplere, quam procurare, ut æquilibrium solidorum ac fluidorum invicem ac temperies naturæ amicissima emergat. Huc merito referendus est locus *Aphor. V. Sect. II. §. 22.* *quicumque morbi ex repletione sunt, sanat evacuatio & quicumque ex evacuatione, sanat repletio & in omnibus contrarietas remedio est, quasi dicat: quicquid rectum est, id moderatum est, omnisque excessus expers. Si quid itaque deest ad temperiem in corpore conciliandam, adjiciendum est, & quod abundat, demendum. Similis extat locus. Libr. de Natura Humana §. 17.* *haec insuper nosse oportet, quod, quoscunque morbos repletio parit, evacuatio sanat. Item: in summa medicum scire oportet, opponere se contrarium instantibus & morbis & naturis & temporibus & ætatibus & distendentia solvere & soluta distendere & mihi sane hoc ipsum sanatio esse videtur.* Ceterum quod
na-

natura sit optima sanitatis conservatrix morborumque medicatrix, & quod omne nimium corporisque subita mutatio periculum corpori minetur, æquabilitas vero & moderatio ac temperies in curandis morbis naturæ sit amicissima expresse docet Hippocrates Aph. sect. II. §. 51. *multum & repente evacuare & replere vel calefacere vel refrigerare, aut alio quovis modo movere periculosum*: omne siquidem nimium naturæ est inimicum, ob repentinam nempe habitus, temperamenti totiusque œconomiae animalis mutationem, quæ mutatio non solum ægris, sed etiam sanis calamitosa est.

§. XXVIII.

Notari porro meretur, quod naturarum secundum subiecta individua diversitatem in medendo considerari debere magna cum cura ac diligentia in Scriptis suis Divus Senex commendat, qualia nempe sint corpora, imbecillia, an robusta? quis sexus? quæ ætas? quæ vires? quale temperamentum? qualis habitus corporis, consuetudo vel hereditaria dispositio adlit? Sicut hoc paucis quasi in compendio præclarus auctor testatur *Lib. de Steril. §. 18. conare*, inquit, *ut sis physicus ad hominis habitum ac robur respiciens, nam ex his nullus est, qui non omnia ad amussim faciat*; quod sane non leve documentum præbet, Hippocratem ex numero vere rationalium medicorum fuisse. Egregius etiam est locus qui extat in hanc rem *Libr. de Nat. Hum. §. 18. curatio instituenda est habita consideratione naturæ hominis & ætatis & speciei, horæque anni & modi ipsius morbi curationem facere aliquando detrahendo, aliquando apponendo, & quemadmodum jam dudum a me dictum est, ad singulas ætates & horas & species ac morbos respiciendo tum in exhibendis phar-macis, tum in constituenda diæta*. Similia his sunt Hippocratis verba *de Locis in Homine §. 55. neque partiendum est medicamentum promiscue, sed singulis secundum naturam, debilibus quidem debilia a natura: fortibus vero morbis, fortis naturæ phar-macis exhibenda sunt*. Item *de Fla-*

tibus

tibus §. 8. differt corpus a corpore, natura a natura & nutrimentum a nutrimento. Non enim omni animantium generi eadem aut conferunt, aut comoda sunt, sed sunt alia aliis magis convenientia. Item Libr. I. de Dieta §. 1. oportet enim scire, quomodo fortium naturæ vim detrabere oporteat & quomodo debilibus robur per artem addere oporteat, prout singulorum occasio se obtulerit. Simili practica consideratione dignus est locus Hippocratis Aph. Sect. I. §. 2. in evacuationibus considerare oportet & regionem & anni tempora & ætatem & morbos, in quibus expedit & non. Item Sect. VII. §. 65. Si quis febricitanti dederit cibum, quem sano exhibet, valentis robur, ægrotanti morbus fit. Item Sect. I. §. 1. In paroxysmis a cibo abstinendum esse censet, cum ejus accessio damno sit, cujus aphorismi egregiam tradit Hæurnius rationem inquitens: magis enim eo tempore restui sunt cuncti succi ad centrum corporis, unde opprimitur anxioque fit respiratio ac alvina regio ab impuris succis oneratur.

§. XXIX.

Fatemur equidem plurima adhuc ex Hippocratis scriptis ad stabiliendum nostrum thema superesse, sed brevitatibus studiū arctioribus nos includit limitibus, veremur enim, ne in tantam molem hæ pagellæ excrefant, ut loco Speciminis Academici vastum quoddam volumen lectorum fatiget industriam. Nihil tamen dubito, fore ut ex allatis facile quisque veritatem assertorum pervidere possit, Hippocratem nempe nonnisi principiis mechanicis totam suam medicinam superstruxisse, neque alias in investigandis vel curandis morbis, quam mere mechanicas ingressum fuisse vias. Ceterum Deo ter Optimo Maximo devotas pie mente pro præstito hoc auxilio persolvo grates, supplicque eum veneror, ut ulterius quoque studiis meis ad nominis sui gloriam proximique salutem sumice destinatis gratia sua adesse atque eadem ad optatum finem perducere velit.

CLARISSIMO
DOMINO ENYEDI,
S. P. D.
PRÆSES.

Non sine voluptate perlegi Tuam de Medicina Hippocratis conscriptam dissertationem, cui nihil vel adiciendum vel detrahendum existimavi, eo imprimis consilio, ut vires ingenii Tui, & profectus, quos ductu nostro in arte medica cepisti, laudabiles clarius exsplenderent, inque aprico ponerentur. Plura equidem ingenue fateor, ad pulcherrimum Tuum institutum illustrandum ex ipsius Hippocratis monumentis addi & ampliori explicatione enucleari potuissent, (nisi arctiores Dissertationis Tuæ limites obstitissent) quæ planum ac testatum facerent, antiquissimum hunc medicinæ auctorem optima artis principia transmisisse ad posteros. At vero majorem in modum dolemus, post fata Hippocratis, prava philosophandi ratione ab Aristotele & Galeno in medicinam introducta, optima hæc divi senis principia multis modis corrupta esse ac deturpata. Siquidem dicti auctores, & qui horum vestigia presso pede sequuti sunt, præcipuo artis fundamento, motu nimirum, derelicto solis materialibus conceptibus inhærentes, omnia, quæ fiunt in corpore humano, ex quatuor qualitatum temperie & intemperie explicare conati sunt. A qua philosophandi ratione haud longe recesserunt plures recentiorum, qui potissimum ex salinis potentiis, sale nimirum, acri, acido, plus minus caustico, vel bile aut viscido proximas morborum causas iisque oppositas curandi indicationes derivare laborant, omnes reliquas, quæ in corpore humano observantur, operationes atque effectus adscribendo meris & sensu cassis nominibus tanquam genuinis eorum causis; unde enata sunt speciosa vocabula naturæ, spiritus, virtutis plasticæ, calidi innati, archei, principii sensu vitali interno præditi, omnia moventis ac dirigentis. Quin etiam nonnulli recentiorum eo processerunt ut actiones non modo animales, sed etiam vitales ac naturales ad mentem seu animam rationalem velut ad causam referre non dubitaverint. Quæ precariæ & medicinæ incrementis valde, adversæ hypotheses, eo ex fonte
) (mihi

mihī promanasse videntur, quod hujus sententiæ propugna-
tores partim veram corporum naturam, quam in materia pu-
re passiva ponebant, partim etiam motus indolem, causam
ac veram definitionem plane non cogitam perspectamque ha-
buerint. Ignorabant enim, corpora non nisi vires esse sub-
stantiales in perpetuo nisi ad motum & renitentia constitu-
tas. Ignorabant etiam motum esse operationem corporum
mutuis viribus in se agentium, dum propter inæqualitatem
virium, loci vel situs fit mutatio, & virium diversi effectus
ex celeritate & mole corporum proficiuntur. His enim
positis fundamentis non opus est, ad operationes corporum,
etiam ordinatos, quales in machina corporis humani conspi-
ciuntur, explicandas in auxilium vocare res incorporeas, spi-
ritus, Deum, vel alia entia, quæ nec ratione nec experientia
demonstrari possunt. Quodsi vero his rebus corporeis om-
nem vim ac potentiam in animantium corpora detrahimus,
atque omnia interno cuidam agenti assignamus, tum quidem
non modo medicina rationalis ac demonstrativa, quæ omnia
phenomena ex causis corporeis evolvere, connectere, no-
vasque veritates ex inventis eruere debet, uno quasi ictu pro-
strata concidit, sed etiam omnis physices æque ac anatomices
expirat utilitas, atque adeo nulla amplius rerum inquisitione
opus est. Quod quantam medicinæ incrementis perniciem
afferat, nemo satis digne effari poterit. Ego itaque & conscien-
tia & officio inductus non potui unquam hanc philosophandi
rationem approbare, sed omnes ac singulos, potissimum qui arti
nostræ bene cupiunt, diligenter exhortari ut commendatum
sibi habeant studium physices, mechanices anatomix, & chy-
miæ velut summa ad artem in melius provehendam præsidia.
Gratulor itaque Tibi etiam atque etiam, *Nobilissime Dn. Enye-
di*, quod non cæco mentis impetu, sed ratione inductus
mechanicæ huic medicinæ te addixeris, quam etiam in præ-
fenti specimine academico ex Hippocratis monumentis sta-
bilire & illustrare annisus es. Non illotis, quod ajunt mani-
bus ad medicinæ sacra accessisti, sed iis instructus præsidii,
quæ ad artem plenius uberiusque percipiendam plurimum
conferunt, Frequentasti enim per duos annos lectiones Ex-
cel-

cellentissimi Wolfii, Collegæ nostri conjunctissimi, à quo genuina matheos & philosophiæ fundamenta edoctus es. Quod quemadmodum ad laudem Tuam profusè insigne est, ita illud magnum modestiæ Tuæ argumentum videtur, quod fummos in arte nostræ honores, quos summo jure ambire poteras, hætenus modeste detrectaveris, dum constitutum habeas in peregrinas regiones abire, eaque ibi addiscere, quæ scientiam Tuam vel augere vel ornare possunt. Quæ in re laudabiliter recedis à pessima illa hominum nostrorum consuetudine, quorum plerique medica cognitione vix leviter tincti studia quasi adhuc cruda in publicum proferunt, artemque facitare aggrediuntur, magno & existimationis suæ & publicæ salutis detrimento. Deus fortunet conatus Tuos, Tibique patronos elargiatur, qui, fortunas Tuas sibi commendatam habeant. Ita enim fore speramus, ut patria aliquando ex scientia ac dexteritate Tua fructus recipiet amplissimos. Vale. Dab. ex Museo.

NOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO
DOMINO RESPONDENTI

S. P. D.

CHRISTIANUS WOLFIIUS,

P. R. B. CONSIL. AULICUS, MATH. ET NAT. P. P. O. SOCIETATUM REGIARVM BRITANNICÆ ET BORUSSICÆ SODALIS.

Recte omnino a Te factum esse arbitror, quod cum studio Medico Matheos atque Philosophiæ verioris studium conjunxeris. Duo enim sunt, quæ ad Artis Salutaris incrementum apprime faciunt, accurata observatio & sollicita rationum percrutatio. Utrumque Matheos juvat: juvat etiam Philosophia, Præterquam enim quod Matheos mentis aciem intendit & ad rationes pervestigandas disponit, accuratam quoque observandi rationem insinuat. Philosophia vero principia suppeditat, unde desumantur rationes. Nosti itaque

162


Ex-

Excellentissimum Dominum Præsidentem, Collegam nobis conjunctissimum, cum cura inculcare, quod Medici, quibus Artis salutaris incrementa curæ cordique sunt, Astronomos imitari debeant, qui ex observationibus leges calculi condunt, conditas ad novas observationes exigunt & continuo magis magisque perficiunt. Nimirum quicquid in Medicina ad praxin profuturum præcipitur, ab experientia derivari & continuis observationibus comprobari debet, donec tandem ad liquidam veritatem pertingatur. In observationibus vero vitandum est in primis vitium subreptionis, de quo me alibi dixisse Te non latet. Rationum loco nihil assumendum, nisi quod firma demonstratione nitatur. Quodsi in hoc tramite pergere decreveris, non dubito fore ut Ars Medica nova per Te capiat incrementa. Vale. Dabam e Musæo meo, die 27. Augusti MDCC XIX.

S*I d' entre vos amis je n'etois point du nombre,
Si pour moy vous etiez étranger inconnu,
Lisant ce beau traité j' aurois bien reconnu,
Qu' entre les plus sçavans vous occupez le nombre.
Mais puisque pour certain par differente foi
De votre esprit subtil j' ai connu le mérite
Ma joye en ce jourdhuy n' est certes point petite
De voire qu' un chacun l' avoüe en bonne foi
Vous êtes des Hongrois, & de votre patrie
La perle, l' ornement, le soutien & l' honneur.
A vous voir, on voudroit avoir eü le bon heur
D' estre né le sujet du Royaume d' Hongrie.
Pour vous qui meditez d' y faire residence
Gardez nous y toujours un commerce d' ami,
Car tous ces beaux talens dont vous estes muny
Vers le plus beaux emplois vous donnent esperance.*

Votre tres humble & tres affectionné
serviteur

A JOMBERT.



Halle, Dids, M779 H-2

ULB Halle

003 712 46X



3

7


TA-701

nur 2. Sten bishov verknüpft

Rehov







B.I.G.

Farbkarte #13

55.54
DISSERTATIO MEDICA,
DE

7779,86
**MEDICINA
HIPPOCRATIS
MECHANICA,**

QUAM
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,

PRÆSIDE

DN. FRIDERICO HOFFMANNO,
MEDICINÆ ET PHILOSOPHIÆ NATURALIS PROFES-
SORE PUBLICO ORDINARIO ET COLLEGII
MEDICI SENIORE,

*PATRONO AC PRÆCEPTORE SUO OMNI OBSERVANTIÆ
CVLTV PROSEQVENDO,*

Publico Eruditorum examini submittit

AVCTOR

STEPHANUS ENYEDI,

TRANSYLVANO - HUNGARUS.

AD D. AUG. CIO IOCC XIX.

J. F. Bl.
officiat.
1780
Prof.
HALAE MAGDEBVRGICAE
Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.